

**De venenorum indole, ac dijudicatione disquisitio extemporalis ... / [Johann Friedrich Gmelin].**

**Contributors**

Gmelin, Johann Friedrich, active 1725.  
Camerarius, Elias, 1673-1734.  
Universität Tübingen.

**Publication/Creation**

Tubingae : Literis Hiobi Franckii, [1725]

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/qxmzrjgu>

**License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

DE  
**VENENORUM**  
**INDOLE, AC DIJU-**  
**DICATIONE**  
**DISQUISITIO EXTEM-**  
**PORALIS.**

---

Quam

*Juvante DEO,*

Jussu Amplissimæ Facultatis Medicæ,

*PRÆSIDE*

**ELIA CAMERARIO,**

Prof. Ord. Med. & Consil. Wirtemb.

**PRO LICENTIA**

*Summisque in Medicina Honoribus publicè ventilandam*

*proponit Nov.*


*ad Diem 23. Mart. MDCCXXV.*

**JOHANNES FRIDERICUS GMELIN,**  
 Stuttgardianus.

---

TUBINGÆ, Literis HIOBI FRANCKII.

*R. Cand. Heine*



*Q. D. B. V.*

**D**E Venenis difficillima disquisitio est, cumque de iis aliqua nobis in chartam conjicienda nunc sint, coque nos decet, eam in rem esse atten-  
tiores; quandoquidem nulla in re facilius est incidere in errorem, quam in dijudicandis Ve-  
nenis; à Medicis enim, eorumque judicio ex-  
pectant Judices decisionem quæstionum maximè arduarum  
atque intricatarum circa Venenorū effectus, cum ii sæpè in-  
certi sint, imò prorsus dubius hæreat Judex, an Venenum  
fuerit causa necis, dum signa adeò sæpè sunt occulta, ut si-  
ne edecumata Medici Prudentia in re tam gravi planè pro-  
gredi non liceat.

Quam igitur utile, quamque necessarium erit, nosse in-  
dolem venenorū, imò vel id nosse penitus, quid Venenum  
sit, quidque eo nomine veniat, cum latius alii, alii strictius,  
hoc sumant vocabulum, neque omne id meretur referri in in-  
famem hunc censum, quicquid vel quantitate vel qualitate  
nocet, sive internè adh̄ibitum, sive exterius admotum, sic  
enim confusio potius, quam distincta Veneni idea oriretur.  
Hinc distinctio in Venena propriè & impropriè talia, quæ ta-  
men non prorsus coincidit cum ea, qua distinguunt inter mor-  
talia, & non mortalia, vel potius mortifera. Veneni enim

titulus iis potissimum competit, quæ mortem inferunt, sive illa statim & acuto quasi modo succedat, sive tardo eveniat motu, graduque, sive solidas partes inflammat destruantque, sive fluidas corrumpant, aut Spiritus animales pessundent. Nec dubites tamen, talia veneni nomen mereri, quæ mortem aīu non inferant, cum sāpē vel naturæ bonitate ac robore, vel remediorum efficacia, vel aliis ex circumstantiis plenus tristiorque Toxici effectus haud subsequatur.

Neque tutum fuerit cum aliis ea vocare saltem Venena impropriè dicta, quæ tantùm insignem corpori læsionem afferunt, quæ morbos efficiunt contagiosos ac pestilentes, ecquod enim venenum pestilenti Veneno pejus est: nec Philtrum simpliciter ad hanc saltem classem licet allegare, eò certè minus, quò occultior adhuc atque intricatior istius nequitiae indoles est, neque ea satis innotuerunt, quæ Philtris adhibentur, ad minimum symptomata inde adeò truculenta subinde observantur, quæ causas admodum violentas activasque videntur supponere. Etsi non ea statim ad venena, etiam impropriè dicta, referre liceat, quæ Sterilitatem, Impotentiam Abortum procurant, aut omnia miasmata, contagium in Phthisi, Dysenteria, Lepra, Scabie, propagantia.

Neque id hactenus evidenter satis innotuit, quibus præcisè viis modisque Venena Corpori possint communicari. Id in aprico est, in cibo potuque per os pleraque assumi; ac per nares adeò frequenter maleficiati homines alias inficiant hactenus nondum sufficientibus experimentis inquisitum est quæ enim de literis Veneno infectis, ipsaque apertione ac lectione necantibus recensentur, vel incerta sunt, vel etiam ingredientibus per fauces, ac respiratione sic adductis moleculis noxiis possent adscribi, uti sanè hæc via frequentissime obtinet in cellis, musto fermentescente plenis, in noxiis carbonum effluviis, in apertis post diurnam occlusionem pu-

teis ac cavernis variis, ac cubilibus calce recenter obductis, &c.

Certum est, per nares patentem quoque ad fauces viam esse, & ob viciniam, nervorumque nexum cum cerebro non minus hâc via periculum imminere. De poris, in superficie cutis corporisque extantibus, res adhuc insertior est, et si passim historiæ de Venenis loquantur per Chirothecas corpori ingestis, quibus alii addunt unguenta, balsama, pulverem de Cypro, sternutatorios pulveres, suffimenta, &c. et si enim nihil generaliter possit statui, ad exemplum tamen unguenti Mercurialis, quod in Lue Venereâ promptè Mercurium ad sanguinis devehit massam, atque unguenti sulphurati, quod Scabiem aliquando innoxie, sapissimè tamen summâ cum Virulentiâ tollit, etiam hæc via Venenis vix poterit denegari, quo minus ea ad interiora corporis penetrant.

De telis veneno infectis, eò minus dubitandum est, quò illa profundius penetrando immediate sanguini, nervisque & spiritibus imprimunt labem, et si & ista Indorum exempla nos apertè doceant, quā exilis sit nostra, quā gaudemus, circa Venena notitia, cum in Orientali Terræ plaga tantæ virulentiæ Venena huic inserviant scopo, qualia inter nos ha-  
etenus non innotuerunt; Tetrum enim illud, quo tela imbunt Reguli in Macassar, Venenum adeò efficax ac formidandum est, ut illi colligendo ii solum destinentur, qui mortis rei habentur, imò nec illi possint arbori perforandæ, succumque lethiferum fundenti appropinquare sine Vitæ periculo, unde prælongâ arundine cuspidatâ corticem perforantes, cavo ejus excipiunt lethalem succum, mox concrecentem, cuius dein solutio in aqua, cui amarissima herba Lampogang admixta est, facta tela imbuit tali veneno, quod gradibus distinctum, vel statim perimit, vel si domari tantisper possit antidoto efficaci, vel radice Mongos, vel etiam ho-

merda sola , ea tamen nequitia vitæ insidiatur , ut , vel bienio trienniove elapsis , adhuc cogat hominem suæ Virulentia succumbere , quæ non infidis relationibus , sed fide Doctissimi Kempferi , literisque Illustris Spelmanni , ad B. Menzelium datis , innotuere .

Dolendumque est , cætera Kempferi Scripta in Scriniis latere , vel dispergi forsan infeliciter , cum non omnes rerum exoticarum Scriptores pari fide recenseant res naturales , nec eâdem Judicii præstantiâ . Plerique insufficienti narratione incertum magis reddunt Lectorem , cujus Exempla vide re est in Itinerario Dampierii , ( referentis , Incolas Insulae Mindanao lentum venenum sociis ejus exhibuisse , qui id mox agnoverint , aliquot demum mensium languore enecti , hepar que post mortem secanti Chirurgo exhibuerint atrum , leve , atque instar Suberis siccum , ) Frezierii , Zucchelli , & plerorumque scriptorum rerum exoticarum . Cum judicio igitur ex Scriptoribus Itinerariorum ea Medico petenda sunt , quæ ad Venenorum historiam spectant ; spectant verò eò plurima , ( uti & circa alias historiæ naturalis partes elegantissima pa sim occurruunt , ) at quam cautè assumenda pro certis , si Italus scriptor , qui orbem Terræ feliciter circumnavigavit , Gemelli Tavernerio injuriam haud inferat , tot ipsi errores pa sim exprobrando ; cui verò in posterum fidendum erit in relationibus rerum adeò remotarum ? Nec tamen eas negligat Medicus in Venenorum Scrutinio seriò occupatus .

Prostant in eo genere innumera , hēic non alleganda , neque enim Dissertationis angustia id permittit ; id tamen addendum censui , eosdem Indicarum rerum Scriptores mentionem quoque facere Venenorum , ut sic loquamur , Magorum , ad analogiam eorum nocendi modorum , quos & in Europa Historiæ haud rarò tradiderunt , cum fictæ ex cera imagines , relatæque ad certas Personas , puncturis ignibus que

que in perniciem earum exponuntur. Occurrunt talia exempla, uti alibi passim, ita & in Relationibus Missionariorum, Indiam utramque adeuntium, uti de mancipiis Americanis annotavit P. La Bat in Itin. Insularum American. qui testatur, magos istos baculis quibusdam eam fascini vim inducere, ut iis contacti intenso continuoque corripiantur dolore, quem nullis hactenus remediis cessisse compertum sit; merenturque etiam huc referri mirabiles istæ minæ eorundem hominum, comminantium, se devoraturos certorum, quos odio prosequuntur, hominum cor atque hepar, effectu christi infecutæ mortis, testante de efficacia Diabolicarum minarum, postquam sectis cadaveribus, Teste eodem P. La Bat, eorum Cor atque hepar vacua prorsus reperta sint, non nisi simplici Integumento superstite. Confirmanturque hæc, quæ de Magicis Læsionibus inter Americanos recenset Labatius, in Epistolis Missionariorum Tom. XV. P. Boucheti Epistola de Missione Madurensi, qui testatur, Indos istos, crudeliter sæpè torqueri (par je ne scai quoi d' invisible) ab invisibili hoste, cum non solùm sæpè ex pago in Sylvam subito abripiantur, sed & sani lectum petentes, edant per noctem ejulatus miserrimos, quēis nemo possit opem ferre, qui que mane offerant corpus ictibus miserrimè læsum. Talia sanè attentione eorum dignissima sunt, qui occultos nocendi modos pervestigare conantur, ac historiam eorum texent imposterum.

Disceptatum quoque ab Auctoribus est, an Venena intus assumta potentius citiusque agant, an verò extrinsecus adhibita. Neque verò existimem, locum hic habere decisionem generalem, cum infinitè varient casus speciales. Præterea distinctè de distinctis loquendum est, sanè inter exterius accidentia reperies vel ideo potentiora, quod intima mox sanguinis adeant penetralia, ipfamque, sine ambagibus, vitæ sedem

dem petant, cum interna & in primis viis cruditates inventire queant, quibus aliquomodo implicitentur, ac in sua operatione impedianter, ( exemplo Agytarum, vel copioso oleo, vel lacte, vel Theriaca, venenum obvolventium ac enervantium,) Viperarum sanè morsus pessimus est, ac pejor adhuc canis rabidi virus, utrumque mox sanguini immediate infusum, ac mediante circulatione toti mox massæ incredibili celeritate illatum. Utrinque tamen tam violenta actio observatur, ut frustrâ de celeritate comparata disputes, funestus erit exitus, sive lento sequatur gradu, sive celerrima operatione pro diversitate qualitatis Venenorum, diversa ratione operantium.

Truculenti potissimum Venenorum effectus probè à Medico sunt considerandi, si aliquo cum fundamento velit in casibus oblatis judicare de exhibitione Veneni dubia existente; Reperimus verò apud Medicos Scriptores in recensione Symptomatum præ aliis Cardialgias, Vomitus, Ventris & fluxus & tormina, eaque atrocissima, nonnunquam & pertinaces alvi adstrictiones. Hæcque primarum viarum Symptomata primo se sistunt loco in assumptione Venenorum per os, quam & subinde mox faucium ardor atque erosio comitatur. Cum vero veneni vis ulterius progressa est, sanguinemque & nervos attigit, horum consensu innumera mala per corporis ambitum sparguntur, Dyspnœa, Asthma-ta, singultus, Cordis palpitationes, Anxietates, Syncope, debilis, frequens, ac intermittens pulsus, frigidi sudores, Livor faciei ac pallor, imò & enormis intumescentia illius, atque abdominis, imò & corporis totius; turbatisque nimium spiritibus jactigationes, tendinum subsultus, Convulsiones, variisque convulsivi motus, deliria, &c.

Ista verò, quæ solent à Medicis allegari symptomata non eodem ubivis modo eveniunt, cum ingens Venenorum varie

varietas, gradusque, & efficacia differentias hic parere soleant innumeratas. Accedit summa illa difficultas, ac disceptatio intricassisima, an certò cognoscere queamus ex symptomatibus, ea esse veneno assumto vel exhibito adscribenda. Cum enim eadem Symptomata evenire haud raro soleant iis etiam in subjectis, quæ ab omni veneni assumti suspitione sunt libera, (cujus in vehementi Cholerâ aliisque affectibus evidenter cernere licet exempla) hinc insignis non potest non oriri difficultas in agnoscenda causæ talis venenatæ in corpore præsentia. Pleni sunt Medicorum etiam solidissimorum Libri istius modi Disceptationibus, agnoscunt uno ore omnes Diagnoseos hujus Difficultatem, nec audent in casibus specialibus sine formidine oppositi asserere, symptomata subitò invadentia, ac truculenter capientia augmenta, veneno infallibiliter esse adjudicanda.

Factumque hinc, ut magni nominis Medici ferè dubitent, an dentur signa Veneni certa, atque extra omnem dubii aleam posita; cum ea possit esse Cacochymiae in Corpo-  
re, sanguinisque massa prævalentis pravitas, in ipso sensim corporis habitu, ac penetralibus ejus natæ, ac fota, quæ eadem in vivo ægroque corpore Symptomata efficere atque exhibere queat, quæ aliâs à Veneno solent oboriri. Hinc est, quod admodum fiant incerta tum Veneni assumti operantisque in corpore apodictica signa, tum effectus illius in cadavere observandi, & signa illud declarantia.

Quisquis consideraverit attentius tales ægrotos, facile agnosceret, difficultatibus obseptam esse gravissimis Diagnosi, nec temerè quidquam hic statuendum. Si contigerit, omnem sanum hactenùs subitò incidere in morbum, gravissimis istiusmodi stipatum symptomatibus, vires subitò dejacentibus, totam Oeconomiam animalem gravissimè celeri-  
tate turbantibus, prodentibusque malignitatis ac truculen-

tiae notas planè singulares, malo Epidemico tum nullo ter-  
ris urbique tuae incubente, haud sanè immerito oborietur  
tibi suspicio de Veneno exhibito assumtove. Cave tamen,  
ne præcipitanter quidquam agas, concludasve, ac cogita enor-  
mes etiam Cholerae, atque haud adeò raras invasiones, Vo-  
mituum variorum symptomaticorum truculentiam, convul-  
sionum subitò comparentium ferociam; potest sanè Vene-  
num subesse, potest verò eadē facilitate, absente illo, tam  
grave malum oriti. Lentè igitur in judicando festinandum.  
Si dicas, ægrum non sine ratione suspicari sinistri aliquid, cum  
nauseosi quidquam se se in ipsa cibi assumptione observasse te-  
stetur; non consulgo, ut talia negligas, rectè ages, si eò men-  
tis quoque dirigas aciem, si remedia eò dirigas, nec tamen  
existimo, te ideò aliquam de Veneno porrecto habere certi-  
tudinem; uti nec sufficerit ejusdem ægri sensus, afferentis,  
se in fauibus ardorem aliquem doloremque ac molestiam  
sentire, nisi erosio manifesta (qualem sublimatus Mercurius  
mox solet excitare enormem) se se non ejus modò sensui, sed  
& tuo se offerat conspectui; levis enim molestia etiam à co-  
natu vomendi, nisibusque excessivis, ex nausea metuque sub-  
ortis, potest enasci,

Nec minori opus erit circumspectione, si nausea, ven-  
triculi dolores, tetri ructus, frequentes, atrocesque vomi-  
tus, stipata ingentibus doloribus Diarrhoea, urinæ ardores,  
intumescentia Ventris, summus faciei pallor, accesserit; Au-  
gent talia suspicionem Medici, jubentque, ut hūc mentis  
oculos convertat, ut strenuè Medicamentis idoneis rem suam  
agat, neque enim necesse est, ut sit convictus de Veneno ex-  
hibito, ad occurendum malis istiusmodi truculentis, si mede-  
ri iis atque occurrere cum fructu velit, agat contra Vene-  
num, licet non certus de Veneno; at quid dico? non cer-  
tum eum esse de Veneno, certus sanè est, imò certissimu-

de Veneno , id saltem parit incertitudinem , an id ingestum sit corpori , atque extrinsecus accesserit , an verò intus lentè genitum , subitóque nunc & cum impetu nequitiam suam exerens . Nemini nocet , si Medicus , cautè prudenterque procedens , agat contra Venenum ; absit vero , ut temerè pronunciet de Veneno , quo ipso gravissimè alios lædere queat , cum nil frequentius sit inani de exhibito Veneno suspicione . Cum tamen certissimum sit , posse corruptum in corpore humorem cum acrimoniaz gradum , eam corrodendi vim , acquirere , quæ eosdem edat effectus , quos Venena si stunt corrosiva , eandem sordium vomitu ejectarum putrilaginem , fœtorem haud dissimilem , acerrimamque & pelves quoque arrodentem efficaciam , ut talis Cholera tam terribili ἄνω & κάτω violentia suum decurrat stadium , ac si excitata fuisset à Veneno nunc demum in corpus ingesto .

Imò , si etiam contigerit , ut graviora accedant obtruantque machinam labascentem , nervorumque Systema , Symptomata , spasmodicæ strictræ , convulsivi motus , tremores , concussions artuum , deliria quoque , frigidi sudores , Lipothymiaz , livor unguium ac faciei , maculæ passim lividæ , aliaque internæ necroseos , inflammationisque ac gangrænæ signa ; omnia sanè ista curam Medici , attentionemque augebunt , ac præsentissima poscent remedia , etsi ne tum quidem ausit prudens Medicus absolutè decernere , isthæc mala veneno exhibito esse adscribenda , cum humores in corpore eam in acrimoniaz vim possint exaltari , ut omnibus ipsis efficiendis sint pares , etiamsi nullum ab extra venenum accesserit . Præstat , hīc suspenso incedere gradu , nisi manifesta sese exerant obtrudantque indicia , cuius exempla leguntur , reperti e. g. in reliquo cibo Arsenici fragmina , aliave tam evidētia rei aliâs tam obscuræ argumenta .

Si verò isthæc ita se habeant, si in tanta symptomatum truculentia tanta tamen regnet incertitudo, quis, quæso, in lentis ægrotationibus culpam sine maturo examine rejicet in exhibitum occultè venenum, postquam exemplis innumeris convicti sumus, eam humores corporis nostri perversitatem, eam corruptionem, ataxiam, atque incoercibilem pravitatem posse sensim sensimque induere, eamque solidis affricare labem, quæ non possit non eludere medicamentorum efficaciam, confundere Medicorum solertiam, faciatque affectum talem à consuetis decursus sui regulis plurimum deflectere, ut anomaliis suis, atque, si verbo venia sit, irregularitatibus ægrum, adstantesque in veneni quondam occultè suggesti inducat infelicissimam suspicionem.

Videamus verò nunc, an major certitudo speranda sit ex ipsa cadaveris post mortem sectione, quam ex conspectu atque observatione viventis, tum enim maximè solicitus de re tanti momenti Judex Medici requirit judicium. Benè verò agitur cum iis, qui sectioni ac perquisitioni cadaveris præsunt, si in primis mox viis, ipsaque ventriculi cavitate veneni manifesta deprehendant fragmina, radicesve, aut alia pro Toxicis certò reputata, atque dudum agnita, sic enim sua incertitudine ultrò liberantur, quamvis & tum ad Veneni quantitatem & qualitatem, ac subjecti indolem, robur ac præcedaneam dispositionem probè respiciendum sit, cum **Cacoehymica**, ac pravis succis scatentia corpora ab ea dosi gravissimè lædi, imò prosterni queant, quæ robustiori tantum periculi haud adferret. Cum ne tum quidem corporis delicti evidentia semper illicè in aprico sit, quando de assumto Toxico noxioque certus est Medicus, si ejus quantitas ignota sit, illo scilicet casu, quo indicia læsionum veneno congrua, ejusque qualitati proportionata, sese haud produnt; hinc dein in veneno narcotico læsiones aperte sese non offrant,

rant, sive in caustico quoque & acri veneno sumto non reperiantur erosiones manifestæ, labesve alia graviores veneno soli, ac præcisè adscribendæ, cujus non desunt exempla, neque enim circumspectus Anatomicus de præsentia Veneni securè pronunciare poterit, ac positivè, si maculæ saltem flavæ. vel & obscuriores, aut viridescentes, in ventriculo alicubi compareant, etsi suspecti quid assumserit æger, cum & à prava & degenerante bile varias in ventriculo & duodeno maculas liceat conspicere.

Quæ sane omnia evidenter ostendunt difficultatem his iu[n] negotiis ac sectionibus nunquam non occurrentem. Cum & apertissima, uti videntur, signa, dubia reddantur ac incerta ex analogis similibusve phænomenis, sine ulla Veneni suspicione frequenter conspiendiis in cadaveribus morbo denatorum. Quoties enim quæsò hæc maculis lividis fœdantur, tum in trunco, tum in artubus. Quoties ingentem in molem abdomen attollitur ab habitu inclusò, ac emergente ex fermentescentibus, ac putrescentibus jam succis; quoties gangrenosa labes, inflammations viscerum, maculæ eorum, celerrima putredo, intolerabilis fætor, flaccidum eorū ac corrugatum, grumescentia in ejus Thalamis, in capite stagnans sanguis, grumi in Carotidibus ac Jugularibus, sinibusque Cerebri, reperiuntur post mortem eorum, qui placidâ morte absque Veneno obierunt. Et omnia tamen ista signa etiam in iis plerumque comparent, qui Veneno extincti sunt. Ac proin difficillimum est, prorsusque incertum, ex phænomenis istiusmodi concludere. Si egeras, manifestam sæpè esse Ventriculi perforationem, liuamina corrupta ac fœtida inter plicas Ventriculi, in ejus avo hærentia, nigrantia non raro ac sanguinolenta, imò, osa veneni ramenta. Hæc sanè perspicaci oculatoque opus est Inspectore, si venenum ipsum compareat causticum, si in ista illius vi ventriculo foramina conspiciantur, res ipsa lo-

quitur, sed attentè tamen ipsa foraminum ratio est scrutanda, præprimis, si veneni ramenta nulla reperiantur, innotuere enim casus inventi ventriculi gangrænosi, sphacelati ac perforati, sine ulla veneni, extrinsecus assumti, suspicione, intactate etiam tenuiore; quis enim dubitet, posse Ventriculum inflammationem, & de hinc necrosin ac sub illius incipiente putredine, sub vomituum summè atrocibus, ultimisque conatibus, rupturam pati, ac foraminibus pertundi; quamquam alia ferè ratio sit excitatorum à caustico Veneno minorum foraminolorum, istius vi inustorum, quæ, substantiâ stomachi luci objectâ, comparent, ad quæ jubent respicere Sectores attentiores. Opus sanè hîc est dexteritate insigni, acie mentis solidâ, ac præjudiciis haud occupatâ. Cæterum foetores istiusmodi, atri, fœdique humores, inflammatio, gangræna, uti dictum suprà, monitumque est, sola morborum vi relinqui in ventriculo, ac reperiri post mortem queunt, hinc solis illis in pronunciando minimè fidendum erit; Idemque de quorūcunque aliorum viscerum labe dicendum est, de pulmonum adhæsione, putredine, nigredine, hepatis lienisque statu præternaturali, &c. omnia ista non nisi in complexu & evidenterib[us] signis præsentibus pondus habent. Facilè hinc colligere licet, quam ardua res sit judicare de ægrotis, qui persuasi sunt, chronicos, quēi laborant, affectus à veneno, clam ipsis olim exhibito, oricum omnis generis pravitas in succis nostris possit gigni, & ad ἀκμὴν perveniens, incorrigibilis evadere, etiamsi nihil unquam veneni in corporis penetralia admissum fuerit.

Possemus hîc excurrere ad lenta Venena, atque ad eas quæ statuto tempore dicuntur vitæ finem imponere; uti verum hunc adeò determinatum necis terminum, exactumque motis tempus à Venenis frustrâ existimamus expectare homine malarum istiusmodi artium peritos, cum infinitæ Idiosy-

erasiz, Temperamenti, roborisque varietates id non videantur permittere; ita tamen haud inficiabimur, dari Venena lenta, sensim sensimque humoribus labem, solidisque partibus ac fibris atoniam ac stricturas inferentia, quorum in classem Italorum Acquetta, aliaque nequitiaz infamis similia instrumenta referri omnino debent, etsi nunc quidem non ausim liberius ista exponere, neque allegare conjecturas, quibus istos obtinere subdolos effectus, istasque vitæ occultas struere insidias liceat, ne ansam præbeamus ingenii perversis profundius de ipsis meditandi, etsi in se utilissimum foret, penitus disquirere, quænam potissimum eò quadrent Venena, ut certiori pervestigatione ad genuina penetrare remedia, eaque desparatæ hominum malitiæ eò efficacius liceret opponere, læsisque succurrere.

Istam verò nunc suo loco relinquam meditationem subtilem sanè ac proficuam, sed non nisi Medico prudenti atque experto dignam, qui non obiter naturalem scientiam, ac Chymicæ penitiores recessus perspexerit. Uti verò suprà commendavimus Historiam naturalem Indicam eorum industria, qui exactam sibi Venenorum atque Antidotorum comparare notitiam gestiunt, ita occasione lensorum horum Venenorum, imò, in genere omnium, non possumus non suadere scrutinium Historiarum quoque Europæarum; multa in hoc genere passim ocurrunt, pluriima forsà in Archivis latent, neque expediret forsà, ut innotescerent omnia, quæ Judicibus eâ de re in quibusdam Regnis innotuere, etsi scopo Medico eorum possent esse utilia, qui Magnatum Sanitati ac Vitæ tuendæ inserviunt.

Nostrûm non est, digredi in campum Historicum, illis id negotii relinquimus; Operæ tamen pretium fuerit, vel d obiter monuisse, artem parandi occulta Venena tot jam etrò seculis altius, quam quidem par erat, fuisse evectam,

ac proin concludi haud sine omni verisimilitudine posse, eam in Regionibus adeò fervidis, interque homines admodum astutos incrementa hactenus per quosdam quasi cuniculos & traditionem maledictam haud levia accepisse. Seculo enim jam decimo tertio, Teste Nicol. Parthenio Giannetasio, Manfredus utriusque Siciliæ Rex, vel, si mavis, Tyrannus, uti Philosophiæ Aristotelicæ peritissimus, ita & notitia Venenorum instructissimus fuit, neque enim exigui artificii res est, ita moderari & exhibere Venena, ut vim suam exerere, & tamen agnoscí, dum applicantur haud possint. Misit enim ad Conratinum, adhuc puerum, Legatos, qui salutarent ipsum, ac munera offerrent, subolfecit fraudes Mater Ducas, aliumque Filio puerum substituit, cui munera Legati obtulere, interque illa fructus, nitidè saccharo conditos, quos cum degustâisset substitutus infeliciter Dux, brevi postea vitam cum morte commutavit. Oportebat hoc venenum sapore haud fuisse ingratu; majoris tamen videntur artificii ea, quæ Manfredus idem præparavit Comiti Andegavensi, (qui postea, cæso Manfredo, Conratinum suæ Tyrannidi immolavit) recensetur enim ex Epistolis Urbani quarti Pontificis, in Thesaur. nov. anecdot. Tom. II. eum mississe Equitem Cavalcantum cum Sociis duobus, qui debebant in aulam, gratiamque Comitis, Siciliæ inhiantis, sese insinuare, vitæque ejus struere insidias, quem in finem instructi eran quinquaginta distinctis Venenorum generibus, ut nunquam deesset, quod substitueretur, siquidem unum, imò & plura frustra fuissent adhibita; quæ inter dubio procul & lenta, & violenta lenta fuere Venena. Et quis ignorat Cæsaris Borgiæ fata dubites sanè, an Vinum Cardinali Hadriano Cornetto præparatum, sed fatali errore, urgente siti, à Pontifice ac Borgia haustum, inter lenta venena, an verò inter violenta sic referendum? imò, ipsum hoc Exemplum memorabile d

cet, idem venenum posse uni esse Venenum præsentissimum, alteri verò venenum lentum, & tardius operans; Papa sanè eo mox die mortuus est, vi Toxici hujus, Borgias verò sub Pontificatu demum sequenti languidam, quam duxit vitam, unâ cum fastu suo deposituit. Posset quidem regeri, venenum fuisse extinctum, cum generosissima hæc bestia inclusa mox fuerit bestiæ evisceratæ, & adhuc calenti, sed frustrâ id dice-retur, talis enim sepultura vivi hominis tale Venenum extin-guere non potuit, hinc languidam vitam miserè duxit, donec è Cæsare nihil jam factus, in acie cecidit, sed plenius ista scrutentur Historiarum gnari.

Redeundum verò est adeos, qui ingentibus, quas patiuntur, molestiis eò inducuntur, ut credant, nefariâ arte ac fraude infami Toxicum ipsis, undecunque demum, vel via quacunque, esse exhibitum, ingestumque, cumque istiusmodi homines sæpè ad munia sua obeunda redditi sint inepti, obruanturque molestiis; interest omnino Medici, ut sciat rem penitus scrutari, ut, si tale quid subesse credat, congruis malo obviam eat remediis, sin verò rebus omnibus ac circumstantiis probè ponderatis, discussisque, deprehenderit, nonnisi suspicione niti ægrum, ac posse omnia, quæ patitur mala, ex genitis cumulatisque paulatim in corpore causis gigni, ac proficisci, nullumque appareat latentis Veneni indicium suf-ficiens, istum ipsi, qui animum haud leviter solet torquere, scrupulum eximat.

Contingit equidem subinde, ut sufficiens hîc Lux affulgeat, pateatque mali fomes, ur evenisse novimus circa Lernam istam malorum, quæ gravis incubuit illis, qui infecta Lithargyrio hauserant vina; diu tantæ stragis causa latuit, po-stea satis aperta; Tum sanè si æger colicâ tortus spasmodicâ, paresi sub decursu morbi, haud ritè tractati, quin & convul-sionibus fuerit tentatus, aliisque tortus ærumnis, cognita jam

erat fons ægritudinis, ac virus plumbeorum molecularum, promptiorque inde illucescebat medendi ratio. Etsi & hīc subactum Medici requiratur judicium, ut plumbeam hanc, si loqui ita liceat, colicam à simplici spasmodica valeat distinguerē, nec quacunque præsente Colicæ stricturā innocentia etiam vina, & dehinc homines reddat suspectos, quæ res magnum persæpè trahit momentum. Siste autem animo tuo hominem impotentia vel sterilitate turbatum, qui vitium hoc malit hausto adscribere Veneno, istique persuasiōni fortius inhæreat, quid agendum Medico, an is, ut complaceat ægro, venenum pariter accusabit? haud equidem arbitror, si Vir bonus sit, utut enim haud neget, eò evalescere hominum malitiam, ut possit & heīc tentare venenorum efficaciam, lentiorum quasi ac specificorum, quò Saturninæ Prosapiæ quædam ac fortia Emmenagoga referas, attamen cum plenè habeat perspectum, idem à morbosâ dispositione, enormibus in Venere excessibus, Partium Atonia nativa, erroribus Diætæ, &c. frequentissimè evenire, hūc sanè omnem mentis vim convertet, ut ipsam mali attingat radicem, felicius dein faciliusque exscindendam.

Imò, si quis tibi eo ex capite de Veneno sibi ingestο conqueratur, quod doloribus tentetur vagis, articulorum torturā, maculis per corpus sparsis, &c. noli statim assentiri, annon enim gemina scorbutus atque Arthritis symptomata solet exhibere; Si denique alius de artuum non modò doloribus, ac nodis, Cephalæa, Defluvio Capillorum, Ulceribus, passim corpus obsidentibus, conquerens, ad Toxicum haustum recurrat, largieris illi præsentiam Veneni, sed alia ratione hausti, per Venereum scilicet Miasma; ista enim labes hæc & graviora alia tota die inducit miseris, quorum ossa perambulat lenta & acris tabes, quæ, cum forsitan multis abhinc annis hausta, diu jam quieverit, oppressa primitus

Mer.

Mercurialibus remedis, ac Decoctorum assiduo usu, nunc demum vel novis Diætæ erroribus, vel accedente crescentibus annis corporis debilitate, denuò erigere caput virulentum incipit, ægro & probabilius & honestius ducente, aliud accusare venenum, quam ipsum hoc domesticum, familiare ac inveteratum.

Venena verò propriè sic dicta, cum inter se admodum diversa deprehendantur, varias ab Auctoribus in classes rediguntur, variasque admittunt differentias. Sunt, qui ea distinguunt juxta tria Naturæ, cujus soboles sunt, regna, dispescentes ea in Mineralia, Vegetabilia, ac Animalia; Alii à partibus, quas lædunt immediate, eorum constituunt differentias, cum alia spiritus, Sanguinis massam alia, alia denique humores potissimum adgrediantur, destruantque; Alii, nocendi lædendique modum respicienes, ea dividunt in acria, erodentia seu caustica, & narcotica, Spiritus stupefacientia, dissipantia, obtundentia; Quibus alii addunt diversos effectus, dum una classis sanguinis massam coagulat acido suo hostili, altera ex adverso compagem ejus solvit, fundit, & in tenue nimis liquamen subito commutat, utroque vitalis fluidi statu æquè funesto ac ad functiones vitales inepto. Absit tamen, ut existimes, adeò hæc cuncta præcisè & cum exclusione quadam esse intelligenda, cum venena pleraque & fluidas lædant, & solidas partes, unâ cum impetum facientibus, seu Spiritibus, et si non æquè agant in omnes ac immediate; neque enim potest tam subito destrui machina Vitalis sine confusione totali partium, ac necrosis, quæ omnes mox ex æquo invadit partes, omnes perfundat, brevique ab una regione ad omnes corporis penetrat recessus etiam intimos.

Quis vero enarrare ausit omnem Venenorum seriem; nec id patitur Institutum nostrum, quod ea potius respicit, quæ præcipuo quodam jure infami hoc nomine gaudent; Ecquem

enim latet, multa in hunc censum referri, eò non nisi sub latitudine quadam admittenda. Acidos v. g. Spiritus, et si incautè, largaque dosi hausti, erodendo necent, sanguinemque in grumos cogendo, inter præcipua ac strictè dicta Venena vix referas, cum non nisi per errorem hauriantur, tumque Alcalium ac largius diluentium celerem postulent opem, tuta aliâs parva dosi medicamenta: Sublimatus Mercurius inter præcipua est, acerrimum venenum, mox oris cavum, faucesque rodens, & consequenter mox interiora corporis; Dulcis verò Mercurius huic censui exemptus est, si ritè sit mitigatus; At Mercurii præcipitati species propriùs ferè, si usum respicias internum, ad venena, quam ad medicamina spestant. Antimonium crudum non nisi imperitus hûc referat, postquam id & in substantia à Kunkelio aliisque datum est, & in Decoctis Anti-Venereis toties coquitur; nondum enim pansum est violentum ejus Sulphur, quod in vitro, Croco, cæterisque cum parco Nitro paratis, sui juris factum, vix in substantia, ut Medici loquuntur, sine veneni metu dabitur; datur tamen cum funestis eventibus non rarò ab Empiricis, cum triplo Nitri detonatum pulverem dat tutum, mitemque ac Diaphoreticum.

Inter Venena Arsenicum facile principatum tenet, incoercibile enim est, nec tutò, ut sublimatum, dulcescit, sed correctum etiam, quod fixatum vocant, retinet malitiam suam & acredinem profundam; In terribili hoc concreto omnis & Sulphurum & Salium malitia est concentrata, suamque irā tristi connubio evecta. Sunt equidem exempla haud incognita, ubi subitò id vel vomitu rejectum, vel pinguibus viscidis, ac remediis obrutum feralem suam actionem non absolvere potuit, ereptis orci faucibus iis, qui id assumserant. Ea tamen inter rariora sunt. Nec nos latet, esse audaculos passim haud fortè paucos, qui pro Febrifugo id venditantes, audacter exiguas propinant doses, febremque fu-

gant

gant. Absit verò hoc à Medico prudenti ac cordato, ea enim est Arsenici nequitia, ut non mitescat dilutum in corpore, more quorundam aliorum corrosivorum, sed obtinet antiquum, etsi statim non lædat manifestè, adgredietur vitæ staminæ occultè ac subdolè, tandemque gliscens sub cinere ignis incoercibilem erumpet inflammam. Nemo igitur fidat Arsenico, nunquam hic Draco mitescit. Cobaltum, ejus matrix, pravum quoque est, etsi sublimatum inde Arsenicum pejus sit. Smalta, soboles Cobalti, tostione, fusione, correctione per salia, ac Vitrificatione tetri sulphuris præcipuam portionem perdidit, haud tamen reddita innoxia. Auripigmentum non attingit Arsenici virulentiam, minimè tamen ideo in corpus admittendum. Vivum, quem vocant, Mercurium simplex haud raro malitia adhibuit in cibis ad eos veneno necandos, à quibus voluit liberari, sed sine fructu, namque & suis se globulis prodidit, & noxam induxit nullam, maximè in corpore sano, quod illicò percurrit excernendum. Aliqui eum inter Venena referunt, quia ejus inunctione, imprudenter factâ & directâ, sæpè faucium ulcera, fissuræ linguae ac gravissima mala oriuntur; Abusus verò usum, toties laudabilem, non tollit: nec infamat fluidum hoc metallum, quamdiu salia ad id nec in corpore, nec extra corpus accedunt, his enim acuitur, & fit venenum.

Maneat Plumbum omniaque Saturnina, ex eo parata, sua in externis remediis laus; intra corporis ambitum, me quidem Judice aut Consultore, ejus ne mica quidem unquam ingreditur. Commendatum legimus interno usui Saturni saccharum, multis quoque haud infreuenter exhibitum, methodum verò illam laudesque Autoribus relinquere, tutius existimamus, quām nostrum iis addere calculum. Vina Lithargyrio fucata loquuntur adhuc contra plumbea hæc remedia, imò clamat: Absit ab internis viscerum mæandris infausta hæc ad tristio, tenacesque moris pravi moleculæ, lenti veneni specimen haud vulgare! Tot alia, quæ minerale Regnum in

suo complectitur ambitu venenata corpora, vel saltem sub ini-  
quis præparationibus virus exserentia haud attingimus: potio-  
ra obiter libuit notare.

In vegetabili Regno larga quoque Venenorum seges est,  
quorum potissima in aliis terræ angulis obvia, nobis nondum,  
quæ DEI benignitas est, innotuere, nostris ferè pejora, siquidem  
Itinerariis tribuimus fidem. Nostra & acrimoniâ agunt, &  
narcotico, spiritusque ligante, ac turbante Sulphure, vim  
utramque gradibus valde variis participantia. Etsi acrimo-  
nia in plerisque haud statim sit obvia, unde tot tristia fata,  
cum esculenta sæpè sint, & affatim ingerantur ab incautis,  
mox gravissimas daturis pœnas. Solani furiosi baccæ quot  
tristes exhibuere in pueris potissimum Tragœdias, quarum &  
Roob novimus gravissima intulisse symptomata. Cicutam,  
Veterum venenum, Socratis morte ut Constantia cele-  
bre, Wepferus plenè exhibuit, Napellus, pessimi genii  
planta, non ubique æquè violentus, ut & in Poloniâ  
in acetariis comesti legantur flores, nisi acetum virus cor-  
rexerit. Hyosciami radices nuper cibum ferè lethalem mini-  
strârunt Infantî. Nec desunt exempla annosæ Pastinacæ ad-  
modum noxiæ, & inter Petroselini radices comestæ portio-  
nes Cicutariæ. Alia, cum Authoribus nolim hûc referre,  
Opium, Crocum, Helleborum, &c. Egregia Medicamenta,  
solo excessu noxia, sic enim tot hûc spectarent Purgantia mi-  
nus tuta, comprimis in dosi majori; nolumus verò nimis di-  
latare Venenorum familiam. Quis enim Emmenagoga for-  
tiora hûc trahat, Sabinam, imò & Artemisiam juxta non-  
nullos; Abortus, etsi sæpiissimè iis ne quidem procurandus,  
etiam sine veneno levi occasione sæpius contingit. Euphor-  
biwm cariei ossium relinquatur, interiori corpori nimis acre  
ac fervidum est, nec tamen ideo venenum stricte dictum, ne  
mini facile exhibendum, ut id non respuat illico ob causticam vim

Colophonem Disquisitioni huic imponere haud licet , nisi prius vel obiter Animale quoque Regnum attigerimus. Non h̄c allegabimus Tarantulas Apuliae , quæ nec Romæ quidem parem exerunt virulentiam , ut proinde de araneis nostris liceat præsumere , earum morsus illis non comparandos. Scorpiones quoque in Africa lethales , in Italiâ minori discrimine pungunt. Viperæ nostræ parum noxiæ videntur , at quām terribiles Italæ ! quarum virosa saliva , dense viam faciente , sanguini admista celerrimam postulat opem , si servare hominem iustum velis. Non h̄c ira bestiæ accusanda , cum siccati liquoris pulvis , inspersus vulnusculo , necem animalibus inferat , epoto cum vino innoxie ipso salivali humore , Teste Redio. Orientales serpentes tacemus , quorum virus nobis non innotuit ; tribuitur vero illis incredibilis virulentia. Circa plurima adhuc desiderantur Experimenta , e. g. circa bufones , variaque insecta.

Nec Cantharides h̄c absolutè trahas , et si acerrimas noxiasque . Millepedes vero , quos in classem hanc alii conjiciunt , laudibus aliorum mirè extolluntur , qui remediis insectum hoc optimis inferunt. Præ omnibus tamen venenis vix aliud deprehendes , quod terribile magis & atrox videri queat , quam rabidi canis morsum , cuius tam rara sanatio est , & qui vel post lustra , securè transacta , novâ rabie sese tristissimè exerit non raro , etiam in iis , in quibus venenum videbatur subactum , eliminatumque . Sautè h̄c pronunciet Medicus , nec credat fallacibus appetiis ; latet h̄c anguis in herba , & quod cicuratum videatur virus , facile denuò emergit , prioremque confundit pronosin. Occultissima ratione hæc in corpore latet Dispositio , ecce ullis sensuum adminiculis protrahi in lucem potest , docet tristis Experientia fatali tempore , evigilante quasi experiore pristino miasmate venenato , detegat fraudem , in diasque funestas. Nihil nunc addemus de Pestilentि Vene-

no, de quo pauca dicere, nec licet, nec sufficit. Nihil de  
peste boum, quam Lancisi potissimum industria scruta-  
ta est. An liceat vesci carnibus extinctorum Animalium;  
quod ad minimum tutum non est. Præstat, totam bestiam  
cremare, quæ vel contactu suo inficit coria detrahentes, te-  
tro habitu emergente. Nolim quoque cum aliis huc referre  
variolarum purulentam saniem, inoculatione moderna exci-  
tantem in Infantibus pro lubitu quasi variolas, cum tot ex-  
perimentis jam constet etiam Illustribus, feliciter cessisse rem  
istam, succumque hunc (ex benignis haustum pustulis,) adeò  
non esse venenum, ut potius hanc via malignitatem variola-  
rum, aliâs adeò funestam, avertere, ac corrigerem quasi præ-  
sumant, insititia ista arte ab Orientali gente hausta. Certi-  
tudinem verò plenam dabit dies! Nos nunc de tabula sumi-  
mus manum, satis de Venenis locuti, quorum tanta varietas  
est, ac tam ardua perquisitio, ut unica dissertatione ne attin-  
gi quidem omnia vel obiter possint, tantum abest, ut  
plenè enarrari ac evolvi queant.

S. D. G.

